

EXCELENTI

ER VDITIONE ET PIETA
te prædito Burcardo Mithobio Medici
cinæ Doctori Adfini suo charissimo
gratiam & pacem per Christum,
Antonius Coruinus optat.

RECTE THALES MILESIVS IN-
terrogatus, quantum distaret a mendatio ueri-
tas, respondit, quantum oculi ab auribus.
Quam multa enim, bone Deus, pro ueris iam uulgo
dicuntur, que & uanissima & prorsus a ueritate ali-
ena sunt? Quam nullus est mendatorum finis? Et
præstaret profecto iuxta huius Thalctis Apophtheg-
ma, non prius uulgi rumoribus fidem habere, quam ea,
que passim sparguntur, oculis contueremur. Conficta
per hosce dies fama est, in eam Hæstia partem, que a
Cattis nomen habet, subitam hostium incurfionem, qui
omnia populentur, factam. Breuiam obsidione cinctam,
& Mindam breui obsidendam esse, & alia pleraq;
que falsissima esse res ipsa arguit. Hæc dum mecum
reputo, non possum non respicere ad illud, quod Chri-
stus Matth. 24. inquit, Audituri estis prelia & ru-
mores preliorum. Videte ne turbemini. Oportet enim
hæc fieri, sed non dum finis. Esto sanè, sint hæc de ijs,
que excidium Hierosolymitanum præcedere debebant.

dicta. Quis autem nescit, extremum illum aduentus
 Christi diem cōsimilia mala præcessura? Quamq̄ enim
 mendaciorum ubiq̄ iam sunt plena omnia, tamen illud
 vero uerius est, Papiſtas si quod conflare contra Lute-
 ranos bellum, eōq̄ ipso uel deuastare Ecclesias nostras
 in uniuersum, uel saltem remorari Euangelij cursum
 possent, nullis laboribus, nullis sumptibus, nullis pe-
 riculis parafuros esse. Et natura ita sunt sanguinarij,
 Psalmographo teste ubi inquit, ueloces pedes eorum
 ad effundendum sanguinem &c. ut conuiescere, nisi
 nostrum aliquando sanguinem hauriant, prorsus non
 possint. Conscripti etiam equites ac pedites, qui huc
 illuc uaganur, metum ac, formidinem multis inuolu-
 unt, ut plane uereantur, certum bellum hoc astat
 tempore, utcumq̄ dimidiata abierit, Germaniam ha-
 bituram. Ego igitur cum sciam periculosissima hæc
 esse tempora, eōq̄ Christianum in omnem fortunam pa-
 ratum esse oportere, Dialogum hæc de re lusi, quem
 tibi nuncupatum (siquidem coram iam tecum loqui
 non possum) ad te mitto, orans ut quicquid id est ope-
 re boni consulas, & mecum contra omnes Satane in-
 sultus forti animo sis. Horrenda est ubiq̄ rerum facies
 fateor. sed si Christus, id quod spero, sue ecclesie &
 suo negotio dexter ac propitius adesse dignabitur, iam
 nihil tam horrendum est, quod uictrix ueritas & bona
 conscientia non fortiter superatura sint. Bene mi Bur-
 gardo Vale & me ama. Salutat te M. VValtherus Ho-
 ker Paroehus noster ualde amanter. Ex Pattenæ
 senio altera post Iouanis Baptiste, &c. 44.

SCARABEVS. CORVINVS.



VID RIDES COR-
 uine? qui familiariter a
 deo amicos aduenientes
 excipere soles? Cur non
 dexteram aduenienti tuo
 more porrigis? CORVI-
 NVS. En porrigo, SCA-
 RABEVS. Recte, Quid uero solius ri-
 des in tãto totius Germanicæ ditionis tu-
 multu? Profecto enim risus iste tuus pla-
 ne est *κλῶς με γαρ κός*, quemadmodum pro
 uerbio dicitur. CORVI. Idem rideo
 quod ridere Democritus solebat. SCA-
 RA. Atqui is, quicquid usq̄ agebatur,
 ridebat, CORVI. Idem mihi quoq̄ iam
 usu uenit, præsertim uulgi stulticiam &
 formidinem intuenti. Vulgi autem & imo
 eorum etiam, qui cum inter pocula alias
 plane sint formidabiles, ij nunc ad unum
 imminentis belli nuncium ueluti contra-
 bescunt. SCARA. Formido certe mul-
 torum animos non abs re occupauit. Et
 quis sibi a bello, quod semel omnia secum
 mala trahit, non metuat? CORVI. Bel-
 li incommoda, quæ fere maxima esse so-

lent, metuimus. Iratum propter peccata nostra deum non metuimus. Quotus quisque enim est, qui in his rerum turbis de resipiscentia cogitet? hoc enim precipuum hic esse oportuit. SCARABE. Fateor peccata nostra, utrinque horum tumultuum causam esse ipsissimam, nostris qui ab Euangelij stant partibus, in gratitudinis uitio plus aequo laborantibus, aduersarijs autem de suscepta semel tyrannide nihil prorsus remittentibus. Ceterum ego offitio meo hac in re non desum, populum indefinenter ad purioris uitae studium inuitans et allitiens. CORVI. Istuc laudo. Et plane offitij tui ratio hoc ipsum exigit. Nam eos qui in hosce tumultus solum, et non in ipsas tumultuum causas defigunt oculos, ueluti de resipiscentia a pristinis uitae sordibus uel nihil uel parum sollicitos, merito ridemus. SCARA. Atqui huiusmodi peruersitas, lachrymas magis quam risum merebatur, id quod Christi exemplum, Hierosolymam inuentis & futuram illius euerisionem praudentis, serio admodum nos docuit. CORVI, Non reclamo. Sed insperim memineris, risus quoddam esse genus,

quod etiam in eos, qui aut iram aut molestiam discrutientur, cadat: quale est illud quod γέλωτα σαρκώμοιο prouerbiali figuram uocant. Et ego istam uulgi peruersam formidinem ita rideo, praesertim cum metus causas agnoscat nullas, ut mihi sic ridendo ipse etiam sim molestus. SCAR. Quid uelis iam nunc intelligo. Cum enim utrinque peccetur, resipiscentia etiam utrinque opus esse, quod hac fere ratione Deus iratus placetur, existimas. Ego tamen quoddam inter nostra & aduersariorum peccata discrimen esse iudico. CORVI. Quid nisi? Aduersarij efferata quadam malitia peccant, illucescentem orbi ueritatem cum auersantes tum impugnantes. Nostri uero imbecillitate quadam peccant, non tam diligenter ad Euangelicae doctrinae praescriptum, quam res ipsa poscebat, uitam instituentes, quibus tamen indefinenter resipiscentiae uia ac ratio ostenduntur, ne quis hic ignorantiam praetexere merito possit. Quamquam quid uetat, quo minus, quid quatenus in parte desideretur, inter nos conferamus? SCA. Nihil omnino. Et mihi huiusmodi collatio prorsus molesta futura non est. COR

VI. In nostris præsertim ijs qui ad rerū gubernacula sedent, semper desiderauimus, quod scis, accuratius promouendæ, semel receptæ religionis studium. Negligunt enim alio quouisq; & uerbū ipsum, quod uel in primis audiri, & nocturna & diurna manu uersari debebat, & ipsos etiam uerbi ministros, quos me hercle fordidius tractant, atq; unq; apud Papistas tractati sunt. Quod si etiam principes hic recta & honesta iusserint, tamen officiariorum ea fere est cum malignitas tum impietas, ut neq; religionis neq; pastorum neq; ecclesiarum ulla cura tangantur. SCARA. Veriora hæc sunt quam ut negari possint. Interim tamen hæc accusatio in omnes ex æquo non competit. COR. VI. Neq; ego omnes ex æquo accuso, sed tantum hæc in re culpabiles. Huc adde, nimia subditorum grauiamina, aleam, luxum, auaritiæ malum, comestiones & comotationes assiduas, uenationes, & fastum, cui omnes fere principum aulæ obnoxia sunt, intollerabilem. Reliqua taceo. SCARA. Iterum in genere eos accusas, opinor, qui se huiusmodi uitij, non habita Christianæ conuersationis ratio

ratione, contaminant. COR VI. Et quis immerentes incusare queat? De nobilibus autem nostris æque iusta accusatio instituitur. Hi enim usque adeo sunt Euangelici, ut totum uel septennium uel octennium, a sacri corporis & sanguinis Christi communione, abstinere audeant, auaritiæ, feritati, luxui, crapula, aleæ, scortationi & rapinis ita dediti, ut Deum esse ne cogitent quidem, id quod iterum de bonis haud quaq; dictum uolo. SCARA. Nobilitatis apud ueteres longe alia fuit ratio. Apud ueteres enim uirtute paratur, non sanguinis iure constabat. Hinc Iphicrates Harmodio cuidam, generis probrum per conuitium obijctenti respondens, meum inquit, genus a me habet originem. Tuum uero in te desit. Nunc ut quisq; ad uitia præsertim crudelitatem est propensior, tanto habetur apud uulgum nobilior. COR VI. In ciuitatibus æque præcipientes feruntur in uitia. a. Religionis & uerbi amorem faciunt, ad neglectum, & contemptum talium rerum propensissimi. Obedientiam erga magistratum prædicari audiunt, quam eatenus tamen quatenus ipsis conducibile est,

præstant. Quid dicam de corruptissimis
ciuium moribus? Quamquam hac in re alia
allam fere vincit. Et ut quæque est ad uolup
tates & luxum instructior, tanto in omni
generis uicia ruit facilius. SCARA. Nihil
acos intra muros peccatur & extra. Et
quod nusquam non fit, boni istis malis, & ma
li bonis admixti sunt. CORVI. Scio. In
terim istos laudare haud possum, qui
cum Euangelij doctrinam re ipsa pro
sus non curent, tamen sub hac umbra
delitescunt, fere ad rerum gubernacula,
plebeis stipati praesidijs, sese ingerunt.
Atque hoc hominum genus ita rerum
postea potitur, ut sub libertatis praetextu
quiduis & audeat & designet. SCARA.
Atqui his uitijs, in plarisque ciuitatibus
obnoxij plarique esse possunt, sed non in
omnibus hoc ipso laboratur. Neque tu,
qui ciuitatibus semper fusti addictissi
mus, in ea es, opinor, sententia, ut quod
in malos tantum competit, id de omnibus
in genere intelligi uelis. CORVI. Nihil
minus. De his enim tantum mihi sermo
est, qui cum mali sint, tamen uitijs suis
Euangelij doctrinam praetexunt. SCA
RA. Caeterum quot uitijs rusticorum
uul

uulgus obnoxium est? Aut nulla hic
opus est querimonia? CORVI. Saepe
me hoc hominum genus ad commiserationem,
considerantem quot & quantis
grauaminibus prematur, commouit. Et
profecto passim in hoc ordine sunt, qui
commiserationem huiusmodi, partim
propter probitatem partim propter pau
peratatem, merentur. Sed interim bona
pars sic adfecta est, ut neque Deum time
at, neque homines reueretur, sed iumen
torum instar, uitam quantumuis mise
rabilem transigant, quibus quicquid in
concionibus dicitur, lapidibus & truncis
dicitur. Taceo hic concionatores, qui &
doctrina & uitae sanctimonia alijs praere
debebant. Nos inquam, qui pro ueris doctori
bus & gubernatoribus ecclesiarum ha
bemur. Quot enim, bone deus, & quan
tis interdum laboramus uel uitijs uel ad
fectibus? uel unus Coruinus, quantae in
homine imbecillitatis testis esse potest?
Neque enim culpam in alios reijciendo, ip
si mihi parsurus sum. SCARA. Quod
ad doctrinam adinet, spero suum quocumque
offitium diligenter facturum, adeoque
paucos esse, qui culpari hic mereantur.
quan

Quantū negare non possum, homines esse nos, eorū humanum quiddam interdum pati. Nemo enim sine uitij nascitur. Et optimus ille est, qui minimis urgetur. COR. Imo in ipsis etiam interdū contionibus adfectibus nimium indulgētes, peccamus. Plerosq; enim reperias, qui tum se offitio egregie functos putant, si strenue in absentes principes, Papam, Cardinales, Episcopos, Sacrifices, Monachos & Nonnas uociferentur, cum concreditā nobis ecclesie iam pridē Antichristum cum suis creaturis nosse didicerint, & iam nunc solidam & piam doctrinam e suggestu expectent. Huc adde quorundam audacem inscitiam qui statim post Theologiae studium uix primoribus labris degustatum, noxias opiniones concipiunt, quas ita etiam inculcant & retinent, ut etiam admoniti redire in uiam dedignantur, e quorum numero is fuit, qui a Tobiae iunioris, sponsam non nisi tertio die cognoscentis, exemplo, praeceptum desumpsit, quo omnes Christianos sponso ne intra tres dies sponsas contingant, teneri docebat. SCA. Atqui scire hunc oportuit, ubi manifestum uerbum desit,

ibi

ibi exempla probare nihil, etiam si interim publice honestatis ratio ubiq; habenda sit. COR. Laudo. Huc iam nunc adde uitae aliquot & eouersationis uitia. Pleriq; tam sunt ad rem intenti, ut etiam in auaritia uicium incidant. Atq; hi, quantumuis splendido salario usque adeo non sunt contenti, ut plane sint quod proverbio dicitur, dolia inexplebilia. Pleriq; neglectis libris ad alios labores se aduersaciunt, Pleriq; genio nimium indulgent. Pleriq; in contionibus popularē auram uenant, defixis in Persiana illud oculis, Pulchrum est monstrari digitis & dicitur hic est, Pleriq; falsos fratres agunt, ita Euangelium predicantes, ut interim omnes bonos, confictis falso criminibus, infectent. Quantū quo me rapit orationis impetus? Breuiter dici poterat, humanae imbecillitatis & uitiorum plena apud nos esse omnia. SCARA. Quid igitur factu opus est? Neq; enim resipiscitibus ad gratiam & bonitatem domini aditus, occludetur. COR VI. Recte. Principes nostri, quatenus culpabiles sunt, agant poenitentiam. Nobilitas incipiat esse quod audit. Ciuitates libertate ita utantur, ut & Christiani interim sint, & obe-

& obedientiam, quatenus hanc ipsam
debent suis magistratibus, non denegent.
Rusticana gens abiecta feritate, mitita-
tem Christianam & obedientiam indu-
at. Concionatores non tam doctrinae pu-
ritate, quam uitae innocentia commissis
fidei suae ouibus praeeant. Breuiter.
Quotquot Christum & illius doctrinam
iactamus, confiteamur ex animo & libe-
re, quicquid haecenus uel per imbecilli-
tatem uel per negligentiam uel per desi-
diam, a nobis omissum & minus recte fa-
ctum est, dicentes, Peccauimus, iniquitatem
fecimus, impie egimus, & recessimus &
declinauimus a mandatis tuis ac iudicijs.
Non obediuimus seruis tuis Prophetis,
qui locuti sunt in nomine tuo regibus no-
stris, Principibus nostris, Patribus nostris,
omnibus populo terrae. Tibi domine iusti-
tia, nobis autem confusio faciei &c. Atque
huiusmodi confessionem ardens postea
oratio subsequatur, ita ut indefinenter
communibus uotis, communibus suspi-
rijs, ad Deum Christo mediatore adhibi-
to, clamemus ac uociferemur in hac uer-
ba, Parce domine parce populo tuo, &
ne des haereditatem tuam in opprobrium
ut do

ut dominantur eis impiae nationes. Qua-
re dicunt in populis, ubi est Deus eorum?
&c. Hac enim in re, si uere & ex animo re-
sipiscentes officium fecerimus, dubium non
est, quin propter gloriam nominis sui &
nos exauditurus & contra sanguinarios
aduersariorum nostrorum conatus, cle-
menter defensurus sit. Et huiusmodi con-
fessio, cum tam ardenti inuocatione con-
iuncta, plus apud Deum & efficiet & im-
petrabit, quam si peccata nostra uel exte-
nuantes uel defendentes, de propulsanda
& submouenda iniusta ui plus nimio so-
liciti essemus. Haec enim non omissa,
illa autem ante omnia facta oportuit.
SCARA. Consilium tuum Coruine ue-
re pium est, ueluti etiam accusatio tua
paulo ante, qua culpabiles tantum non
bonos perstringebas, aequae pia fuit. Quod
si hac in re & tibi & alijs concionatoribus
mos gereret, haud dubie bellici isti me-
tus facile conquiescerent. Imo cum inter
saxum iam & sacrum, inter spem & me-
tum haereamus, ignari quid propter pec-
cata nostra de nobis diuina ira statuerit,
opus ante omnia huiusmodi resipiscen-
tia & inuocatione est, nisi & in hac uita
infern

inensibilis hostibus nostris obijci, ac
tam uxoribus liberisque miserabiliter truci-
dari, & post hanc uitam æternum dam-
nari uelimus. Respicendo & inuocan-
do auertere diuinam a nobis uindictam
possimus. Perdurando in commissis pec-
catis, effugere meritas pœnas haud pos-
sumus. CORVI. Igitur unum hoc su-
per est, ut ex animo pœnitentiam aga-
mus, & diuinæ bonitatis aures indefinens-
tibus precibus, cum pro remissione pec-
catorum nostrorum tum pro mitigatio-
ne imminentium pœnarum corporalium,
interellemus. Hac enim ratione & nos
cum Deo patre nostro in gratiam redi-
bimus, & aduersarijs insultandi nobis oc-
casionem omnem præripemus qui iam
adiutore Satana, in cuius uerba, hoc est,
impiam doctrinam, iurauerunt, toti in
hoc sunt, ut una cum Euangelij & puriore
doctrina funditus nos euertant & me-
dio in uniuersum auferant. SCARA.
Magna fuit hactenus apud nos ingrati-
tudo, magna oscitantia, & magna ubique in
præstandis uere bonis operibus cessatio.
Fateor, At contra tanta etiam fuit apud
aduersarios contra uerbum tyrannis, ut
plane

plane spes sit, si nos ex animo resipisca-
mus, & ad receptam Euangelij doctri-
nam uitam ac mores componamus, foeli-
citer contra resipiscentes arma neutiquam
sumpturos. CORVI. Rem profecto
acu tangis. Si quis enim Papistarum reli-
gionem ac conuersationem penitius in-
trospectat, iam talis uitiorum Camarina
istic adparebit, quæ Sodomorum etiam
impietatem ac uitæ sordes, longo post se
interuallo, si collatio hic instituat, re-
lictura sit. Et Papatus quid est aliud, atque
omnis impietatis, omnis idololatriæ, om-
nis blasphemix, omnis denique turpitudi-
nis & maliciæ receptaculum? Atque hic
usque adeo pœnitentia nulla ducuntur,
ut Deum etiam ipsum in cœlis rideant, tan-
tum abest, ut relictis impijs dogmatibus
ad Euangelij doctrinam accessuri sint.
Quoties etiam optimum Cæsarem, to-
ties ac tam anxie religionis causas agen-
tem, tumultus huius rei gratia exortos
componere molientem, deique instauranda
apud Germanos pace sollicitum, ludifi-
cati sunt? Sed fortassis putant, se & in ter-
ris regnum habituros & postea etiam cœ-
leste imperium obtenturos, qua tamen in

re spes huiusmodi longe omnium uanissi-
ma certo eos frustrabitur. SCAR. Pon-
tifex Romanus istuc haud dubie futu-
rum somniat. Qui ut ipse omnium, quot-
q̄t uiuunt, est & impijssimus & pessimus,
ita sodalitiū principū aliquot, nobilium,
ciuitatum, sacrificulorum, monachorum
& nonnarum habet, quo nihil cōtinet hic
orbis uel contaminatius uel corruptius.
Impia docent, impia recipiunt, impia cre-
dunt, impia defendunt. Breuiter, propter
impiam doctrinam, impios cultus, deniq̄
q̄ propter retinendam totius status sui
impietatem coelum terrae miscerent, si a
Deo primum, deinde a Caesare, cuius
animum idem Deus ad moderata ac pa-
cifica consilia clementissime hactenus
flexit, permitterentur. CORVI. Caesar
optimus talem se hactenus, in conseruan-
da Germaniae publica tranquillitate, ges-
sit, in piorum gratiam Deo animum illius
huc inclinante, ut culpari non mereatur.
Bona etiam spes animum meum habet,
fore ut perpetuo sui hac in causa similis
maneat, neq̄ unq̄ sanguinaria Papista-
rum consilia sequatur. Sed uides interim,
ut Papistae iam gestiant: ut subsistant:

ut in

ut internationē nobis minitent: ut trium-
phum, quasi iam debellatum sit, adornet.
Pleriq̄ somniant, quem nescio accisis ipso-
rum rebus ad futurum Camillum, qui
iam uictoria signa huc illuc circumferat,
ingentes imo innumerabiles secum copi-
as ducat, & breui totum Papatum, dele-
tis ad internationem Luteranis, instaura-
turus sit. Alij autem qui & cordatiores
inter eos & prudentiores sunt, magnam
quidem spem conceperunt, fore, ut res
iporum melius habeant, sed tamen toti-
us Luteranismi, nisi Caesar omnibus ner-
uis negotium hoc agere incipiat, interi-
tum, polliceri sibi non audent. Atq̄ hinc
ista apud eos oriuntur ante uictoriam en-
comia, Quasi uero ecclesias suas Christus
tueri non possit, etiamsi totus orbis in
illarum perniciem conspiret. SCARA.
Substitit hactenus contra omnes Satanae
insultus immota ueritas, idq̄ non aliter,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cau-
tes. Quare nullus dubito, quin in poste-
rum quoq̄ omnes aduersariorum contra
hanc suscepti conatus, irriti futuri sint.
Idem enim Deus, cuius prouidentia ad
hunc modum propagata est, ad huc uiuit,
eadem potestate atq̄ antea conspicuus.

Fremant interim gentes, meditentur in-
ania populi, conferant operas suas reges,
Conueniant & consultant inter se princi-
pes. Solus ille cuius causa hac propria
est, omnia illorum consilia, omnes cona-
tus, omnes machinationes, modo nos in
uiam, uti dictum supra est, redeamus re
ipsa quod ore profiteamur praestantes, ita
dissipabit & uentis committet, ut omni-
bus contra suam opinionem certo sint fut-
turi opprobrio & ludibrio. CORVI.
Imo educant (nobis respicientibus) etiam
exercitum & copias, Forfan enim uisuri
& re ipsa tum sensuri sunt, quid sit theo-
machian suscipere contra coeli rerraeque do-
minum, Nam fere hic fit, quod in Thre-
nis Ieremiae ca. 5. legitur, Defecit gau-
dium cordis nostri. Versus est in luctum
chorus noster. Cecidit corona capitis no-
stri. Vae nobis quia peccauimus. SCA-
RA. Nihil falleris. Habemus enim ma-
gna & multa huius rei in Biblijs testimo-
nia. Vel unus Syriae rex Benadab, qui
uniuerso Israeli, ingentibus cum equitum
tum peditum copijs stipatus, exitium mi-
nabatur & quam foede, quam turpiter, a-
missis uno die centum milibus Syrorum,

in

in fugam actus est & Quam fuit uana con-
tra populum Dei iactabunda Bachidis in-
cursio & Quam fuerunt nihili Holofernis
minae & Quam cito terror ex tanto exer-
citu ortus conqueuit & Atque hac profecto
propter nos, modo uere Christianos aga-
mus, scripta sunt. COR. Probe. Quod
si etiam aduersarij ueritatis impetum in
nos aliquem fecerint, ut alias saepe fa-
ctum est, tamen si nos & ex animo resi-
piscamus, & ardentibus uotis domini aux-
ilium indefinenter imploremus, iam im-
petus iste, non aliter atque puluis a uento
huc illuc proijcitur, subito euanescet. Scio
quid huius per hosce dies in hac nostra
ditione, cum rusticanus iste tumultus
tam subito oriretur ipse & uiderim & ob-
seruarim. Seditionem Satanas, si fortas-
sis remorari receptam Euangelij apud
nos doctrinam, uel ad minus odiosam
reddere posset, moliebatur. Male enim
eum habebat, regnum suum a principe
uidua Elizabetha, quae uere Delboram
hisce in rebus hactenus egit, tantopere
labefactari. Et quidem principio, cum
concurfus istae rusticorum tam subito fie-
ret, plane fuit horrenda rerum facies. Cae-

B 3 rerum

terum Christianissima domina, ad diu-
num auxilium & preces conuersa, quic-
quid id erat terroris, paruo admodum
equitum & peditum numero adhibito, ita
dispulit, idq; intra biduum uel triduum, ut
uix huius tumultus uestigia supersint.
Quis hic non fateatur, sedationem ho-
rum tumultuum, diuinæ bonitati, quam
precibus nostris interpellare non destiti-
mus, acceptam referri oportere? SCA-
RA. Et tamen interim sunt, qui illustris-
simam principem horum tumultuum, ut
quæ emissis equitibus rusticos irritarit,
causam faciant. CORVI. Atqui illa hic
extra omnem noxam est. Et malitiosi
prorsus sycophantæ sunt, quotquot de il-
lius clementia mendatium huiusmodi
comminiscuntur. Equidem emissi consi-
liarij cum equitibus aliquot sunt. Fateor.
Emissi autem sunt, ad redigendos in or-
dinem rebelles & seditionem summis ner-
uis: id quod probari potest, molientes,
non ad obediens irritandos, quemad-
modum rumor a maleuolis falso sparsus
est, Atq; ad hanc uindictam lento admo-
dum gradu processit. Totum enim bien-
nium orando, obsecrando, urgendo, mi-
nando,

si fortassis ut offitium facerent,
induci possent, antea consumptum est.
qua in re, cum clementia nihil prorsus
promoueretur, tandem inenitabili qua-
dam necessitate ad id remedij per Consi-
liarios itum est, qui ne ipsi quidem, cum
magistratus gladium contra seditiosos &
rebelles gesserit, hic culpandi sunt. Quod
uero optima & Christianissima princeps,
propter exactionem male audit, plane
præter illius meritum sit. Et ego hac de
re per hosce dies ad amicum quendam
scripsi in hæc uerba, Principio quoad ad
ex actionem attinet, scio & uere dicere
possum, optimam principem summa erga
miseros subditos commiseratione tangi &
adfici, adeoq; perpetuo, ut tandem finem
aliquem huiusmodi grauaminum hæc di-
ctio habere possit, in uotis habere. Et si
creditores, ut ab urgendo, criminando
& minando abstinere, induci ac persua-
deri possent, promptissimo animo & ipsa
ab exigendo quietura esset, id quod mihi
ex illius ore sæpe auditum est. Quia uero
creditores clementiæ illius ita negotium
faceffunt, debita reposcentes, ut hostilia
etiam, nisi creditum. æs recipiant, denun-


cient, ex actionem & ipsa urgere, nisi ul-
troneum in hanc ditionem bellum accer-
sere uelit, ineuitabili quadam necessitate
cogitur, in quam etiam per praelatos, pri-
mores & ciuitates huius ducatus (maio-
ribus ciuitatibus exceptis) presentibus
tutorum legatis consensum est, ne quis
puret optimam principem auaritia du-
ctam & nulla necessitate coactam hac fa-
cere. Proinde cum certo sciam, clemen-
tia illius culpa tantum alieni aeris infla-
tu non esse, & autorem huiusmodi debito-
rum in domino defunctum iudicem de-
um habere, luctari cum laruis. ueluti
prouerbio dicitur, nec licet nec libet Et
forsan optimus princeps, si uiueret, hone-
stam hisce de rebus interrogatus rati-
onem reddere posset. Præterea opti-
mam uiduam, incessere hic petulantibus
concionibus, ut quæ summam tan-
tum tutricem & œconomam hisce in
rebus, ad legitimam iunioris principis
ætatem usq; agat, nec possumus iure
nec debemus, præsertim cū non clemen-
tia illius culpa hic, sed ineuitabili neces-
sitate, ueluti supra dictum est, peccetur.
SCARA. Huiusmodi defensionem quæ
profecto

profecto pondus habet, multis cogni-
tam esse oportuit. CORVI. Scio multa
alia ab aduersarijs in illius clementi-
am passim confingi & spargi, sed cum
tam crasis, manifestis, impudentibus
mendacijs coniuncta, ut existimem ip-
sum Satanam talium mendaciorum au-
torem esse. Quare etiam idem Deus,
cuius prouidentia & bonitate, & alia
sæpe & in istis nuper exortis turbis cer-
to defensa est, pari eam bonitate in
posterum quoq; contra rumores huius-
modi falsissimos tuebitur. Et ego in com-
memoratione huius exempli hoc tantum
indicare uolui, permittente Deo & au-
tore Sathana multa sæpe pericula ob-
oriri, ingentem metum secum adferentia,
quæ tamen, si nos resipiscamus ad deum
pro auxilio confugientes, subito euanes-
cant, & plane in spongiam, ueluti dicitur,
incumbant. SCARA. Quid uero si in
cœlis decretum sit, ut a domo dei iudi-
cium incipiat, & peccata nostra puniri
corporali aliqua pœna debeant? COR-
VI. *τις ἐν δυνάμει ἐπιπέσοι*: id quod certo tan-
dem futurum est? Parandus & in hanc
fortunam est animus, diuina uoluntas
B 5 expecto

expectanda, & fidei oculi in Euangeli-
cas promissiones perpetuo defigendi.
Pœnitentibus enim uere, & ad Euan-
gelicam doctrinam uitam componentibus,
nihil tam subitum aut repentinum
aut inopinatum accidere poterit, quod
absq; noxia consternatione ferre non
queant. An non certam mortem nobis
propositam esse scimus? Et quid refert,
quo quis mortis genere occumbat, mo-
do in Christo & propter Christum oc-
cumbat? Fungamur nos egregie officii
o, nihil addubitantes, quin uerum sit il-
lud Paulinum: Siue uiuimus, siue mo-
rimur, domini sumus. Quid quod huc
nondum uentum est? SCARA. Et
ego spero Papistas, turdi instar malum
sibi ipsis cacaturus, Nisi forte falsum
istud Psalmographi esse existimandū sit,
Dissipa gentes quæ bella uolunt. Certe
nostri nihilæque atq; pacem expetunt,
quam etiam obuijs ulnis, quod dicitur,
si detur, excepturi sunt. Quod si ex-
petentibus hæc ipsa denegabitur, age,
fiat uoluntas domini. CORVINVS.
Idem ego dico. Si sic deo enim in cœ-
lis uisum est, quis uoluntati eius res-
sistet?

listet? Sed me alio uocant negotia.
Posthac copiosius hisce de rebus con-
fabulabimur. Proinde uale & ad ar-
dentem ac iugem in ecclesia tua ora-
tionem accingere. Ego ut in reli-
quis huius ducatus ecclesijs
idem fiat uidero. SCARA
BE VS. Laudabis diligen-
tiam & ipse quoq;
ualebis.

FINIS



HANNOVERAE EX OFFICINA
TYPOGRAPHICA HEN-
ningi Rudeni.

M. D. XLIII.

